

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Ipocrisis at
cum fonte primo

Preceptio celestis uult iactanciam tollere,
pompam auferre, uanitatem demere,
submouere inanem gloriam, et sic iusticiam uult celari.
Iusticia per se sibi habundat ad gloriam; spectaculum populi,
uulgi laudes, fauores hominum, mundi gloriam non requirit.

Illa uero iusticia que est ypocrisis iusticia non est:
mentitur oculis, fallit aspectus, uidentibus illudit,
decipit audientes, seducit turbas, trahit populos,
famam uendit, emit clamorem;

mercedem rapit presentem, premium non querit futurum;
cecat oculos, ceca ipsa; non uidens uult uideri.

Petrus Rauennas ibidem (in sermone).

Fratres, hic praeceptio caelestis uult iactanciam tollere,
auferre pompam, uanitatem demere,
submouere inanem gloriam; non sic iustitiam uult celare.
Iustitia, quae per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi,
uulgi laudes, fauores hominum, mundi gloriam non requirit.
A deo genita caelum expectat, in oculis agit diuinis;
supernis uirtutibus mixta semper a deo solo ut glorificetur expectat.

Sed haec est iustitia quae ex deo est;

illa uero iustitia quae est ypocrisis iustitia non est:
mentitur oculis, fallit aspectu, uidentibus inludit,
decipit audientes, seducit turbas, trahit populos,
famam uendit, emit clamorem,

fit saeculo, deo non fit;

mercedem rapit praesentem, praemium non quaerit in futuro; caecat
oculos, caeca ipsa; non uidens uult uideri.

Petrus Chrysologus, *Collectio sermonum*, 9.2 (CCSL 24, A. Olivar ed.,
pp.64-5, ll.22-35).